

Franciscus Patricius

Zoroaster et eius CCCXX oracula
Chaldaica*

*Iz: Franciscus Patricius/Frane Petrić, *Zoroaster et eius CCCXX oracula Chaldaica/Zoroaster i njegovih tristo i dvadeset Kaldejskih proroštava*, uredila Erna Banić-Pajnić, tekst preveo Ivan Kapec, Zagreb: Institut za filozofiju, 2011.

FRANCISCI PATRICII
ZOROASTER ET EIUS CCCXX ORACULA CHALDAICA
EIUS OPERA E TENEBRIS ERUTA ET LATINE REDDITA AD
HENRICUM CAIETANUM, S. E. R. CARDINALEM

Illusterrimum, et Amplissimum Camerarium

Transkripcija latinskog teksta predgovora
Ivan Kapec i Nino Zubović

Hrvatski prijevod predgovora
Ivan Kapec

Bilješke
Erna Banić-Pajnić i Nino Zubović

ILLUSTRISSIMO ATQUE REVERENDISSIMO
HENRICO CAETANO S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

Amo te, HENRICE CAETANE, Cardinalis Amplissime vehe-
menter, ob insignes, humanitatem, modestiam, clementiamque
tuam. Ob vero magnificentiam, et magnanimitatem etiam suspi-
cio. Ob autem beneficentiam¹, qua homines Deo fiunt similes,
mirum etiam in modum admiror et laudo. Idem faciunt Bono-
nienses, idem Parisienses. Illi quando apud eos, sedis Apostolicae
legatus, summa iustitiae moderatione, nobilissimam eam rexisti
civitatem, gymnasium illud toto orbe celeberrimum, reformasti.
Hi vero quando itidem Sanctae eiusdem sedis legatus, in sum-
mis calamitatibus in acerbissima obsidione, prudentia, gravitate,
modestia, beneficentia summa, ita tibi bonorum civium animos
devinxisti, ita in fide catholica retinuisti, ut summo te presentem
amore, et stupore intuerentur. Fine vero obsidioni tuis consiliis
imposito, lacrymis discedentem prosequerentur. Magna equidem
haec sunt tua facta, quibus de fide Catholica es meritus optime.
Quid vero, si vel paria, vel etiam maiora in fidem sacrosanctam
beneficia conferre queas in perpetuum, non voles? Absit a tua pie-
tate tanta impietas. Ratione, hominum genus ducitur magis quam
re alia ulla. Cum enim omnes homines, rationales se esse credant,
rationi adhaerent eamque sectantur et adamant. Et si veram falsa,

¹ Stoji umjesto: beneficentiam.

aut apparente, discernere nesciant, etiam falsa trahuntur, et apparenti. Ratio autem, philosophiae² studiis, maxime, et acuitur, et instruitur. Inter philosophiae Aristotelicae partes, quae Romae, quae in aliis omnibus Europae publicis Gymnasiis paeleguntur, et perleguntur, quaedam sunt, fidei atque Ecclesiae hostes accerrimae. Quas attingam. Physici II. pars de fortuna, et casu. Pars III. de infinito. Pars IIII. de tempore. Sextus, et septimus. Hi omnes ad mundi impiam aeternitatem, callem struunt. Octavus vero et I. de caelo, et 2. pars, magis, falsarum rationum machinis eam stabilunt. Omnipotentiam Deo auferunt. XII. vero Metaphysicae omnem Dei tollit providentiam. I. et III. de anima, animae immortalitatem, vel prorsus negant, vel maxime faciunt dubiam. Et nescio quo vel malo fato, vel consilio pessimo, in gymnasiorum statutis statutum est, ut fere non nisi hi publice doceantur. Et impietas omnis iuvenum mentibus indatur, et inculcetur. Tu qui unus isti Romano Gymnasio praepositus es, in tuam sententiam collegas Cardinales trahe. Tollite has Aristotelis partes, ne amplius legantur. Relinquantur disputatoribus, libri logici et caeteri metaphysici. Medicis futuris generationis libri, quartus meteorus. Parva quos vocant naturalia, animalium generatio, et partes. Pro illis impiis substинuite, Hermetis libellum de Pietate et philosophia Poemandrum, alios piissimos. Vel Platonis Philebum, Sophisten, Timaeum, Parmenidem, Phaedonem, alios, qui contrarium impiis illis sonant. Plotini libri, uno aut aliero³ excepto, maxima sunt erga Deum pietate plenissimi. Procli quoque Theologica elementa et Damascii libri de Principiis, eandem continent pietatem. Hi Platonici, quia pauculis mutatis christiani possunt fieri, sunt a Divo Augustino, nobilissimi philosophorum omnium, sepissime appellati. Hos adamarunt, et in multis sunt secuti, Theologi

² U izvorniku stoji: philosophia (»izvornik« u bilješkama odnosi se na Petrićev tekst).

³ U izvorniku stoji »aliero« umjesto »altero«.

christiani veteres fere omnes, Graeci et Latini. Quos adhortatores, cur respuestis, tu cum collegis, viri catholici, ac pii, et de pietate christiana, optime meriti? Estote igitur Pontifici. Gregorio. XIII. Suasores, et authores, ut hostem tantum iam in piorum cathedris publicis, nimis inveteratum, e subselis deturbetur, de coenobiis extrudatur. Et pii in philosophia authores, per vos surrogentur. Aut si quae causa sit, qua hostes in civitate sint retinendi, armati alii, pii rationibus atque armis, uti custodes illis opponantur quo adolescentes, ex utriusque⁴ decertatione, et audiant et discant, quanto pii sint impiis praefereendi. Ut autem, et causam, et occasionem nanciscaris maiorem, mitto ad te Zoroastrem meum, e multis Platonicorum latebris, ut potuimus fragmentatim erutum. Fuit autem is, uti intelliges, Abramo credentium patri, contemporaneus,⁵ ac forte conterraneus. Apud quem in tam pauculis, tam admiranda, tam divina, de Trinitate, deque divinis ordinibus, et animae excellentia leges, ut obstupescas: et possit videri non imerito, catholicae fidei, omnium primus, etiamsi rudia, fere iecisse fundamenta. Eum ergo tibi consecro, et tu, me tam rari muneris ne spreveris largitorem.

Vale. Ferrariae.

Tui observantissimus

Franciscus Patricius

Francisci Patricii Zoroaster

Zoroastrem magiae inventorem fuisse, satis apud authores convenire scribit Plinius. Sed unus ne hic fuerit Zoroaster, an et alius, non satis constare ait. Sane is qui nostra aetate »Sacram bibliothecam« compilavit, Sextus Senensis, duos fuisse Zoroastres tradit: Alterum ex Diogene Laertio, Persem Magorum principem.

⁴ U izvorniku stoji »utsorunque« umjesto »utriusque«.

⁵ U izvorniku: contemporaneus.

qui verae magiae fuerit inventor primus. Alterum Bactrianorum regem, qui sit a Nino in bello victus. Et qui primus verae magiae fuerit corruptor, de quo Plinium, Iustinum, et Augustinum scripsisse asserit. Qui si duo sunt revera, licet, et tertium addere de quo Clemens Alexandrinus lib. V. Strom. ita scribit: »Erus iste, Zoroaster est, qui de se ipso hoc scripsit. Conscripti Zoroaster Armenii, genere Pamphylius, qui in bello mortuus, ad inferos descendit, et a Diis haec addidici.«

Erum Plato lib. X. de Rep. XII. die postquam mortuus fuerat, super pyram positum revixisse affirmit. Sed Plato idem Zoroastrem. Oromazi, non Armenii filium in Alcibiadem I. facit. Aut tres ergo, aut quatuor, et non unus videntur fuisse Zoroastres. Ioannes autem Goropius, in Gallicis, Zoroastrem neminem unquam fuisse autumat. Sicuti neque Hermetem Trismegistum, neque Orpheum. Nominum horum etymis, nescio a qua Cimelia lingua, qua et Adamum, et reliquos patres ad Nochum et Iapetum usque locutos, et ipse credit, et aliis credi vult; derivatis. Quorum nominum etymos, sicuti fidem pones eum manere volumus, ita illud addimus, Iapetum ab eodem Goropio, fuisse Zoroastren nominatum. Cui Iapeto, quoniam Margiana, et Bactriana post diluvium a patre obtigerint, a secunda hac Magiam ortam

esse, affirmatque inde a Zoroastre, Oromazi filio, idest a Iapeto Nochi filio charissimo ad Persas venisse. In qua re, multiplex patet Goropii error. Nam si Zoroaster nemo unquam sua sententia fuit, qua ratione Iapetum, Zoroastrum esse facit? Deinde apud Iosephum, Bactra non Iapeto conditori tribuitur, sed Geteri, uni ex Arami filiis. Hic autem Semi filius fuit. Persae autem conditi sunt, non a Iapeto, aut quopiam e suis, sed ab Elimo, Semi filio alio; sicuti a fratre eius Arphaxado Chaldae. Inter quas duas gentes magia omnis, et ortum habuit, et praecipue est versata. Itaque Iapetus ex historia nulla, aut Bactrus, aut Persa, aut Chaldaeus fuit. Didymo vero Alexandrino Zoroaster fuit Chamus. Aliis Chusus, Chami filius. Sed quibus nam id rationibus inducti dixerint, quia non constat, credere supersedemus. Porro Zoroaster ille Iustini, valde est controversus. Etenim Diodorus Siculus, Bactrianorum Regem a Nino devictum; non Zoroastrem sed Oxyartem appellat. Cui accedit proxime una transposita R, Oxyatri nomen quod se vidisse in aliquot Iustini codicibus manuscriptis retulit nobis Pyrrus Ligorius, vir totius antiquitatis peritissimus, sicuti in aliis Zeorostrem scriptum se invenisse affirmabat. Sed Arnobius Diodoro CCC. circiter annis posterior, de Zoroastre ita scribit: »Ut inter Assyrios, et Bactrianos, Nino quondam, Zoroastroque ductoribus, non tantum ferro dimicaretur, et viribus, verum est magicis, et Chaldaeorum reconditis disciplinis.« Quae res videtur cum Iustino concordare. Verum Suidas aliam iniicit suspicionem, nimirum. Zoroastrem Chaldaeum fuisse, et Nino subditum, dum ita scribit: »Zoroastres Astronomus, sub Nino rege Assyriorum. Qui in votis habuit, ut ab igne coelesti interimeretur, adhortatus

Assyrios, ut eius cineres servarent. Ita futurum, ut regnum ipsum numquam deficeret, quod usque adhuc apud eos servatur.« In Assyria autem, Babylonem Chaldeorum caput fuisse, et Strabo, seu Strato, et Plinius fatentur. Apud Chaldaeorum etiam, et Persarum gentes, Magicas floruisse, non autem in Bactris, apud authores est in confessio. Esto ergo Bactrianae rex ille, seu Oxyartes, seu Ozyatres, seu Zeorostres, seu Zoroastres, certe magiae inventor non fuit, verae scilicet Magiae, quae apud Chaldaeos, ac Persas magos, magno in honore fuit. Aut si fuit, pravae alterius magiae fuit inventor. Sed neque id ei a Diodoro, aut a Ctesia, ex quo multa Diodorus sumpsit, tribuitum est. Qui quidem Ctesias, Bactriani istius regis res gestas scripsit, ut Arnobius testatur. Haec enim eius sunt verba: »Age nunc veniat, qui super igneam Zonam Magus interiore ab orbe Zoroastres Hermippo, ut assentiamur authori. Bactrianus, et ille conveniat, cuius Ctesias res gestas historiarum exponit in primo. Armenius Hosthanis nepos, et familiaris Pamphylius Cyri.«

Nec solum, magum Zoroastrem a Bactriano Zoroastre seiungit his verbis Arnobius, verum eos etiam, quos Clemens uti vidi mus, coniunxerat. Nam si Pamphylius Zoroaster familiaris Cyri fuit, et Armenius Hosthanis nepos, Hosthanes autem cum Xerxe in Graeciam venit, manifestum sit, duos hos diversos fuisse: quando a Cyro ad Xerxem, anni intercesserint LXXVIII. et Nepos Zoroaster Hosthane, patruo iunior necessario fuerit. Quatuor itaque hi sunt apud Arnobium Zoroastres. Quintus vero Persomedus. de quo Suidas in hanc sententiam scripsit: »Zoroastres Persomedus sapiens, apud eos qui in Astronomia excelluerunt. Qui etiam primus nomen dedit iis Magis, qui civilia tractarunt: Fuit autem ante Troiana tempora annis D. Feruntur autem ipsius »De natura

libri IIII«, »De lapidibus preciosis«⁶ I., »Asteroscopica« »Apotelesmatica libri V«.

Quae quidem verba, ex patria, Magorum institutione, primus ille Chaldaeus, sive Assyrius videri potest. Nam Assyria pars Chaldaea fuit, Persia, et Media conterminae. Itaque vicinitate regionum, aequivocum est nomen patriae partum. Sed librorum numerus Persomedi, non congruit cum Assyrio, ut mox patebit. Haec ergo diversitas librorum, si duorum authorum diversitatem faciat, Persomedus hic Zoroaster, a Chaldaeo Zoroastre, est numero V. Cui videtur sextus ex Plinio posse addi, Proconnesius. Verum caeteris ommissis, Magorum principem illum perquiramus. Cuius et vitae initium, et medium, et finis, traduntur admirabilia fuisse. Scribit enim Plinius, eum eodem met die quo natus est, risisse. Eademque cerebrum ita palpitasse, ut impositam repelleret manum, futurae praesagio scientiae. Eundemque in desertis caseo vixisse annos XX. ita temperate, ut vetustatem non sentiret. Obiisse autem igne coelesti concrematum, sicuti optaverat, Suidae testimonio constat. Qui item tradit, eum, uti diximus, sub Nino Assyriorum Rege floruisse, quod ab aliis non discordat. Nam et Epiphanius, eum Astrologiae, doctrinae pravae, et magiae inventorem fere Nembroti Gigantis aetate fuisse asserit. Fuit nam Ninus Nembroti nepos, ex filio eius Belo, genitus. Et Eusebius affirmit eum iisdem temporibus cum Semirami, et Abramo vixisse. Semiramim vero, nemo ignorat Nini fuisse uxorem. Qui Ninam urbem condiderit anno a diluvio CCXCI. et sequenti CCXCII. a Iosepho dicitur Abramus natus. Consonant itaque tempora. Ex quibus Eudoxi, et Aristotelis error proditur ingens. Quorum uterque, uti Plinius refert, scripsit, Zoroastren sex millibus annorum

⁶ U izvorniku stoji »preciocis« umjesto »preciosis«.

Platonis mortem praecessisse. At is obiit Olympiade CVIII. Ad quam, a diluvio anni intersunt MMLVIII. A quibus si demantur CCC. circiter, quibus Ninus, Semiramis, Zoroaster, Abramusque vixerunt, relinquuntur a Zoroastre ad Platonis obitum anni circiter MDCCCLVIII. non autem sex mille. Par fere error est apud Hermodorum Platonicum, et Plutarchum, qui Zoroastren scripserunt, Troianam eversionem anteisse annis VM. cum Troia eversa sit, anno a diluvio MCXXVI. A quibus si demantur CCC. illi quos diximus, reliqui erunt anni DCCCXXVI. In eundem errorem incidit Pletho Gemistus, Plutarchi secutus autoritatem. Nec vero, vera est apud Laertium Xanthi Lydi annorum ratio, qui scripsit a Zoroastre, ad Xerxis in Graeciam transitum DC. tantum annos medios fuisse, cum diluvio ad Xerxen anni cadant MDCCXXV. A quibus si detrahas CCC. illos, remanent anni CMXCIX. Error est etiam apud Suidam, qui scribit, a Zoroastre ad Troiam eversam intercidisse annos tantum Quingentos, cum sint millesimo uno minus. Sed Magorum princeps iste Zoroaster, Persane fuerit, an alia e gente, in dubium videtur verti posse. Plinius namque, et Laertius, Persam eum faciunt, Pletho, et eum secuti Ficinus, Steuchus, et alii recentes authores Chaldaeum existimant. Chaldaeos autem, a Magis, quorum caput fuit Zoroaster, Porphyrius, tum apud Proclum, tum in vita Pythagorae disternat. Ioannes vero Picus, hos utrosque confundit, dum ad Ficinum scribens, gloriatur se Chaldaicos quosdam libros invenisse his verbis: »Chaldai ci hi libri sunt, si libri sunt, et non Thesauri. Audi inscriptiones. Patris Ezre, Zoroastris, et Melchiar Magorum, oracula. In quibus et illa quoque apud Graecos, mendosa, et mutila circumferuntur, leguntur integra, et obsoluta. Tum est in illa, Chaldaeorum sapientum, brevis quidem, et salebrosa, sed plena mysteriis interpretatio. Est itidem et libellus, de dogmatis Chaldaicae Theologiae. Tum Persarum, Graecorum, et Chaldaeorum in illam divina, et locupletissima enarratio.«

In quibus sane Pici verbis, comiscentur sine discriminē, Chaldaeī, Magī, Persae, et Zoroaster. Sed Chaldaeū eum fuisse, ut credam multis adducor argumentis. Tum quod Chaldaeōrum lingua eius oracula haec scripta fuerint, ut hic Picus testatur. tum quod Chaldaica, etiam fuerit interpraetatio. Tum quoque quoniam Proclus, et Psellus Chaldaica ea appellat. Et praeterea, et hanc ipsam oraculorum horum, Theologiam Chaldaicam, et Assyriam Theologiam vocant. Tum etiam quod in Assyria, narratur mortuus. Assyriorum autem regum sedes Babylon fuit, et Chaldaeōrum quoque gentis caput. Eamque urbem Assyriæ parti uni, nomen Babyloniae dedisse, Strabo, ac Plinius tradunt. Et Chaldaicum etiam nomen ipsius Zoroastris esse videtur: quando prorsus simili nomine Suidas Zoromasdem, Zoroastro subnectat. Et Dinon, et Hermodorus apud Laertium scribant, ex interpretatione nominis, Zoroastrem, astrorum cultorem fuisse. Quod cum Epiphanio consentit, qui Astrologiae eum facit inventorem, et Suidas Astronomum nominat: et astrologica scripsisse asserit. Astrologiam autem omnium gentium maxime apud Chaldaeos floruisse, nemo ignorat. Azonacem quendam Plinius praceptorē eius fuisse nominat. Nec fuerit a vero absonum, si Azonacem hunc dicamus, de schola Semi, aliquem fuisse, aut Heberi. Tradunt enim Thalmudistae, Semum primum omnium scholam doctrinarum instituisse. Quem secutus sit Heberus, a quo sapientum secta, ab eo derivata, Hebreorum quasi Heberorum nomen assumpserit. Fuisseque ambas eas scholas celeberrimas tradunt. E quibus, et Abramus prodierit, et Iacob nepos eius, ut sapientia imbuatur ad eas est profectus. Non est autem dubium, Semum a Nocho patre institutum fuisse. Quem omnes ab Adamo doctrinas per manus traditas calluisse, a multis est memoriae commendatum. Quod verum cum sit, et non sit a ratione alienum, eis contemporaneum Azonacem, in eorum scholis institutum, iisdem de Deo sermonibus Zoroastren imbuisse. Inde forte, non immerito Proclus Chaldaicam theologiam, θεόδοτον καὶ θεοπαράδοτον non semel appellavit, et Chaldaeos illos a Diis eductos fuisse asseruit. Scripta

autem Zoroastris, Suidas sic enumerat, ut »De natura« sint. libri III., »De Praeciosis lapidibus« I., »Astrorum contemplationis effecta« V. Scripsit etiam »De agricultura«. de quibus Plinius aliquid citat. Scripsit etiam »Oracula«, ut ex Pico apparuit, et alia multa, quae Hermippus collegit ad vicies centum millia versuum: et indicibus positis uti Plinius refert, eius volumina explanavit. Cuius Hermippi, Laertius librum quoque »De magis« adducit, et ab Arnobio testis est productus. Puto autem Hermippum hunc illum Smyrneum, qui dictus est Callimachius. Cuius libros, similis fere argumenti, »De septem sapientibus. »De legumlatoribus«, »De Hipponacte«, »De Gorgia«, »De Aristotele«, Atheneus non raro citat. Cum autem libri Zoroastri Chaldaice scripti⁷ fuerint, non immerito quaeri potest, a quo nam fuerint postea Graeci facti? Sane Iosephus, de Beroso ita scripsit. »Testis horum est Berossus, vir Chaldaeus genere, notus iis qui in disciplinis versati sunt. Quandoquidem ipse scripta Chaldaeorum de astronomia, et philosophia in Graecos extulit.«

Itaque Berossus ex hoc testimonio, ni fallor fuerit primus. Secundus est Aristoteles qui librum conscripsit, cui Magico fuit inscriptio: Sed et Eudoxus, et Hermodorus Platonicus, et Xanthus Lydus videntur Magorum multa prosecuti.⁸ Et Hermippus de quo supra.

Fuerunt postea duo Chaldae, Iulianus pater, ac filius. De quibus ita est apud Suidam. »Iulianus Chaldaeus philosophus, pater eius Iuliani, qui vocatus est Theurgus, scripsit »De Daemonibus«⁹ libros IIII. Sunt autem ad custodiam cuiusque hominum membra qualia sunt Chaldaica sacrificia. Deinde Iulianus praedicti filius sub Marco Antonino Caesare scripsit, et ipse Theurgica Logia carminibus et alia quaecumque talis scientiae arcana sunt.«

In quibus verbis, nominatim sunt Logia ab eo carminibus Graece scripta, seu potius e Chaldaeo conversa. Quae quamvis

⁷ U izvorniku stoji: scripsi.

⁸ U izvorniku stoji: prosequuti.

⁹ U izvorniku stoji: Demonibus.

non videantur, integro carmine conscripta: id evenit, quia mendosa sunt, uti Picus ait, et mutila. Quod etiam Sibillynis carminibus evenisse Lactantius testatur. Hunc Julianum Proclus, subinde Theurgum vocat, dum Logia adducit, et exponit. citatque eius librum VII. »De zonis«. Zonaes autem quid fuerint in Chaldaica theologia postea fiet palam. Adducuntur etiam a Porphyrio, Symbolus, et Pallas quidam, qui Magorum res Graece conscripserunt. Chaldaeorum libri aliquot philosophici videntur in Arabicam quoque linguam fuisse versi. Scribit enim Avenrois quodam loco. Apud Chaldaeos philosophiam, ita perfectam quandam fuisse, sicuti fuit, ut ipse loquitur, tempore Aristotelis. Fuerunt libri Zoroastri, postea quam a Juliano, aut quovis alio, Graeci facti sunt, in tanta veneratione, ut Clemens scribat, eos Christianos, qui Prodici haeresin sequerentur, gloriari solitos, se eius arcanos libros possidere.

»Et Porphyrius in Plotini vita narrat Christianos multos, ex antiqua philosophia profectos, Adelphii, et Acylini fuisse sectatores, eosque Alexandri Lybici, Philocomi, Demostrati Lydi, plurimos libros circuntulisse, et revelationes quasdam Zoroastris, Zostriani, Nicothei, Allogenis, Mesi, aliorumque huiusmodi palam ostendentes, multos decipientes, et ipsi antea decepti. Qui assererent Platonem, intelligibilis essentiae profundum minime penetrasse. Eaque de causa Plotinum, multas in ea argumentationes intulisse, atque contra eos librum scripsisse, qui contra Gnosticos est. Et Amelium eius auditorem libros XL. composuisse contra librum Zostriani. Ipsumque Porphyrium multis argumentis ostendisse librum Zoroastri ab illis inscriptum adulterinum novumque esse: et ab illis confictum qui struebant haeresim, ut eorum institutiones esse Zoroastris veteris crederentur.«

Ex quo loco apparet, in tam magna fuisse Zoroastri libros institutione, ut considerent multi, vel rationibus, vel autoritate, quae eius esse crederentur Platonis dogmata theologica posse convelli; et novam in theologia Christiana haeresim, vel constituere, vel constitutam confirmare. Sed utinam integra ea oracula haberemus, quae Picus invenerat. Utinam quae Chaldae, Persaeque in ea commentati fuerant. Utinam libellum cum enarratione, qui Chaldaicam theologiam complectebatur. Utinam denique ip-

sius Pici commentaria in ea ipsa, et oracula, et libros. Quae Ficinus scribit in obitu eius inter scriptorum suorum reliquias, a se reperita esse: sed ita exarata, ut vix ab eo ipso legi possent Pico. Quae malum, pessum ierunt cum concordia ab eo scripta Aristotelis cum Platone: Evidem maximam fecit haec Chaldaica Theologia iacturam, in iactura XL. librorum Amelii. In quibus rationi valde consonum est, quo facilius Zostriam librum falsitatis coargueret, eum saepe vera Zoroastri dogmata, et oracula protulisse. Non minor forte iactura alia fuit, quatuor Porphyrii librorum quos, ut refert Suidas, scripserat in historiam Iuliani Chaldei philosophi, eius nimirum qui ea oracula in Graecum sermonem verterat. Sed ingens profecto naufragium passa est philosophica Respublica in ammissione commentariorum eius auditoris Iamblichi, quorum XXVIII. librum Damascius bis citat sub titulo, Chaldaicae perfectissimae Theologiae, semel, et iterum, ὡς ἐν τοῖς Χαλδαικοῖς, ὁμολογούμενος ὁ Ἰάμβλιχος. Sicuti in Chaldaicis fatetur Iamblichus. Sed et huius discipulus, Syrianus; cognomento Magnus testante Suida libros X. scripsit in Logia, hoc est oracula Zoroastri forte omnia. Sed proh nefas maximum. Ea scripta et thesauri periere omnia: et ex tanto naufragio, vix superfuerunt sexaginta tantum oracula vere divina. Quae quinquagesimo ab hinc anno Parisiis a Lodoico Tiletano fuere Graece impressa sub titulo. Μαγικὰ, λόγια, τῶν ἀπὸ τοῦ Ζωροάστρου μάγων.

Magica oracula eorum, qui a Zoroastre sunt Magorum cum Graecis commentariis, quae reperi postea esse Plethonis Gemisti. Quem quidem pauxillum numerum, auximus nos non poenitenda additione, usque ad CCCXXIII. magno labore a nobis conquisita in Platoniorum philosophorum quae superfuerunt scriptis, Procli, Hermiae, Simplicii, Damascii Synesii, Olympiodori, Nicephori Gregorae Synesii commentatoris, et non nihil etiam in Arnobio reperimus. Cum eorum singulorum aliquibus expositionibus, et argumentis Chaldaicae philosophiae. Quae omnia in unum collecta, et in ordines quosdam distributa, quae sparsa invenimus ad communem philosophiae sincerioris studiosorum, et latina fecimus, et in publicum libentes damus. Sed antequam ulterius progrediamur, non est negligenter dispiciendum, an Logia haec, uti inscriptio praetulit sint magica, et quo sensu Magica. Id autem

fieri non poterit, nisi Magia quid sit cognoscamus. Magiae nomen horrent plerique. Puto a Simone illo qui sanctis Apostolis se se opposuit, hoc horrore derivato. Qui cum vere, non Magus, sed Goes Γόνης esset, falso Magum se se cognominavit. Cui mentito Mago, magi veri tres opponantur ii, qui ab Oriente, Dominum Iesum venerunt adorare. Etenim est sciendum, magiam, et goitiam, et pharmaciam longe, inter se esse diversas. Quod cum Plinius forte ignoraret, imperite Magiam derisit universam. Sed nihil est id in eo viro mirandum, qui etiam Deum rerum authorem, vel ignoravit penitus vel irrisit cognitionem. Itaque ad hanc rem dignoscendam, authoribus, Plinio potioribus utamur. Inter quos summus Plato, Magiam Deorum cultum esse affirmat, cum scribit, μαγείαν τε διδάσκει τοῦ Ζωροάστρου τοῦ Ὡρομάζου, ἔστι δὲ τοῦτο, θεῶν θεραπεία.

»Magiam docet Zoroastri, filli Oromazi. Est autem hoc Deorum cultus.«

Porphyrius autem in hunc modum.

Πλαρά γε μὴν τοῖς Πέρσαις οἱ περὶ τὸ θεῖον σοφοὶ καὶ τούτου θεραποντες μάγοι μὲν προσαγορεύονται· τούτο γὰρ δηλοῖ κατὰ τὴν ἐπιχώριον διάλεκτον ὁ μάγος.

»Apud Persas vero, qui circa divina sunt sapientes, eorumque cultores, Magi appellantur. Hoc enim significat eius regionis propria dialecto Magus.«

Ioannes quoque Picus ait, nomen hoc Magus, idem esse apud Persas, quod apud Latinos sapiens, et apud Graecos philosophus. Et Pico anteriores Philo, et Hermias Magos in hunc describunt modum. Prior ille.

»Veram quidem illam Magiam, hoc est contemplativam scientiam per quam clarius naturae opera cernuntur, ut honestam atque

expetendam, non vulgus solum sectantur: sed maximi etiam regum reges, precipue Persae tam sunt harum artium studiosi ut regnare nemo possit nisi sit inter Magos iudicatus.« Hic vero ita. Magi sunt, qui de singulis philosophantur. Consuetudo autem communis magos pro malefiscis accipit; qui aliter habentur apud gentem suam. Eo quod sint philosophi Chaldaeorum, et ad artis huius scientiam, reges quoque et principes eiusdem gentis omnia faciunt, unde et ipsi primum, in nativitate Domini Salvatoris, primi ortum intellexerunt, et venientes in Betlem adoraverunt.

Itaque Magus, vera sui nominis interpretatione, non aliud sibi vult, quam Dei cognitorem et cultorem. Cui nomini, rem quoque apud magos respondisse author est Arnobius, vir pius et Catholicus, de eo Hosthane scribens, cui maxime insensus videtur fuisse Plinius. Inquit enim ille.

»Eorum magorum, et eloquio, et negotio primus Hosthanes, et verum Deum merita maiestate prosequitur, et angelos ministros, et nuncios Dei, sed veri, eius venerationi novit assistere. Ut e nutu ipso, et vultu domini territi contremiscant. Idem et Dae monas prodidit terrenos, vagos, humanitatis inimicos.«

Proclus vero ex Porphyrio referens, libro II. In Timaeum, in hanc sententiam, ne semper Graeca afferam, scripsit.

»Quacumque vero, et esse Deos; et providentiam eos rerum habere putant, et multa eorum quae fiunt, posse etiam aliter evenire, hi et praeces convenienter approbant, et vitam nostram dirigere confitentur. Atque addunt, proborum hominum praeces convenire maxime: Quoniam nos divinitati connectant. Simili enim, simile coniungi amat. Diis autem, probus vir, similimus est. Et quia in custodia sint iis qui virtuti incumbunt, et a corpore veluti a carcere comprehensi, debent Deos praecari de transitu ab hoc loco. Et quia veluti filii, a patribus distracti, praecari eos convenit de regressu ad veros eorum patres Deos. Et quoniam veluti patre, et matre carere videntur ii, qui non curant praecari, neque se se convertere ad praestantiores. Et quia in omnibus gentibus, qui sapientia excelluerunt, circa praeces studiosi fuerunt. Indorum quidem Brachmanes, Magi vero Persarum. Graecorum vero, qui

maxime Theologi fuerunt. Qui et sacrificia instituerunt, et mysteria. Chaldaeai vero, et aliter divina coluerunt, et ipsam Deorum virtutem, Deorum confitentes esse, venerati sunt. Tantum abest, ut ob virtutem facta spreverint.«

Magi itaque inter alios sapientes maxime Deum sunt venerati: maxime ad Deum praeces et sacrificia porrexerunt. Propriamque eorum virtutem Dei virtutem esse, idest a Deo in se profectam fassi sunt. De qua ad Deum prece, tam magna ea sunt, quae Proclus ex Chaldaeorum dogmatibus subnecit, ut maiora, et excellentiora, vix crediderim a quoquam Christiano, scripta reperiri posse. Est in his Zoroastri oraculis Dei Patris, et Filii, et Spiritus non solum aperta cognitio, sed magnifica etiam laudes (crediderim hoc dogma de Trinitate personarum eum habuisse ab Abramo vel ab aliis Deo Charis. Quoniam suo lumine naturali non posse nos deve- nire incognitionem misterii Trinitatis.) Factorem rerum omnium, mundi creatorem eum celebrant. Angelos agnoscent. Paradisum praedicant. Animarum immortalitatem docent expresse. De Veritate, de Fide, de Spe, de Amore, seu Charitate, brevia, sed eximia habent dogmata. Quibus veluti gradibus, ad Deum reduces fieri possumus. Multa quoque de Magorum abstinentia, castitate, ac veluti poenitentia, referuntur, non absimilia ab iis, quae in heremis sancti patres christiani narrantur egisse. Ut non immerito Apollinis oraculum quamvis plerumque mendax, in hoc vere pronun- tiasse¹⁰ videatur. Id quod Porphyrius, referente Eusebio, retulit.

»Chaldaeis quae vera esset sapientiam, tantum Hebraeisque ipsis concessum; agnoscere pura, aeternum qui mente colunt Regemque Deumque.«

Itaque haec prima, praestantissimaque Magiae pars, non aliud est, quam Theologia, et religio: et si non vera plene, uti postea fuit a Christo revelata, attamen proxime omnium ad eam accedit. Ut mirandum maxime, ac merito videatur, quo nam modo, tantum se potuerit suis viribus mens humana attollere, et haec profecto est, quam Plinius sub religionis nomine ridet, ridendus ipse maxime, et execrandus.

Alia magiae pars est cognitio coelestium motuum atque vi- rium exacta. Per quam, et influxus coelorum in haec inferiora percipiuntur; et ad humanae usum vitae, in seminationibus, plan- tationibus: et in universum in omni agricolendi ratione fructus ca-

¹⁰ U izvorniku stoji: pronunciasse.

piuntur. Quod in Cassio Uticense maxime apparet. Recta itaque ratione, non solum Zoroaster, sed etiam Abramus itidem Chaldaeus Astronomiae habitu sunt periti. Quem Abramum, Philo Iudeus probat, per Astronomiae scientiam; in veri Dei notitiam pervenisse, eique ob id sacrificia instituisse.

Tertiam magiae partem Plinius fuisse recenset Medicinam. Nos vero cum magnis, ac piis viris dicimus, Magiam in universum naturae totius cognitionem complecti. Non eam quidem, quae in usu hodie est apud Peripateticos, quae in sola Aristotelis verborum interpretatione versatur tota, nihil pensi habens si res aliter se habeant, quam ipsi in duce suo intelligent. Sed eam quae interspersas, interseminatasque mundo virtutes, quasi de latebris, ac tenebris in lucem evocans, non tam facit miranda, quam operanti naturae famulatur. Et eam quae universi partibus inest Sympathiam, quasi artifex promit, et in usum de mundi recessibus, gremioque naturae profert.

Hisce vere declaratis rebus, palam arbitramur esse factum Magiam integrum, non esse aliud, quam Dei venerationem: et coelorum, atque naturae virium cognitionem. Quam cur vel Plinius rideat, vel horreant alii, nihil video, praeter quam quod ridiculus ipse sit, et deplorandus.

Talis Magiae veluti simia quaedam, et infelix aemula, goetia apud nequam homines est nata, cultu, ac comerto daemonum referens Magiae Theologiam: praedictionibus, humanorum eventuum singularium, similis facta Astrologiae. et naturalis, veraeque Magiae effectiones praestigiis repraesentans: ut quae sunt, non esse videri: et quae non sunt, esse videri faciat: ad omnia, opera atque opera daemonum adhibita. Quae si circa defunctorum corpora exerceatur, Necromantiae nomen est adepta. Si ad ignem, aut aquam, Pyromantia, et Hydromantia vocatur. Mateotechnia vero si circa aerem: quoniam simul aere percuso evanescat. Pharmacia

vero ea est, quae cibis potuque philtora, resque amatoria fingeantur, procurare, qualem narrat se expertum Lucianus, et Apuleius. et qualem in multo usu apud Thessalas mulieres fuisse scribunt. Finxit etiam medicinas quasdam ad morbos varii generis depellendos se novisse. Ita evenit, eos qui, cum mali essent, sub bono nomine sibi voluerunt credi, non goitas, quod nomen est a dolore, sed Magos quod est a pia sapientia se appellari maluisse. Fatear quoque multos, qui vere Goites essent, uti Magi viderentur, ex bona Magia desumpsisse aliqua, ut eo praetextu credulum vulgus ad se, quaestus gratia traherent. Huiusmodi fere sunt aliqua apud Eusebium, ac Gregoram, quae ipsi ex Hecates oraculo se desumpsisse affirmant. Quae daemonum sunt quaedam evocationes et praestigia: Quae impia, noluimus cum piis hisce commiscere.

Verum ad oracula Zoroastri redeentes, operae fuerit prae-
cium, antequam ea vel proponamus, vel exponamus, quaedam
veluti prolegomena eorum praenotare, ut nimirum facilius eo-
rum sensa intelligamus. Sunto autem haec prima, quae scripta
sunt a Proclo in prooemio comentariorum suorum in Platonis
Parmenidem.

Ἡ δὲ τῶν Ἱερατικῶν ὄνομάτων θεῶν κατὰ τὴν ἔαυτῶν
μυστικὴν ἐρμηνείαν ἐκδεδωκότων, οἵα τὰ τοῖς Ασσυρίοις
ύμνημένα, Ζῶναι καὶ Ἀζωνοί, καὶ Πηγαί καὶ Ἀμείλικτοι καὶ
Συνοχεῖς, δι' ᾧ ἐκεῖνοι τὰς τάξεις ἐρμηνεύουσι τῶν θεῶν.

»Sacrorum vero nominum, Deorum, secundum eorum mysticam interpretationem, traditorum. Ut ea quae ab Assyriis celebrantur, Zonae, et Azoni. Et Fontes, et Amilicti, et Synoches. Per quae illi ordines Deorum interpretantur.«

Similia his Psellus postea tradidit, utinam sicuti prolixius, ita et diligentius. sed qualiacumque sint, non inutilia cognitu fuerint. Sunt autem haec verbis suis.

Pselli expositio per capita, dogma- tum quae sunt apud Assyrios

Post unum, paternum dicunt profundum ex tribus triadibus repletum. Singulas autem triadum, habere Patrem primum. Deinde Potentiam medium et mentem ad haec tertiam quae claudat triadem in se ipsam. Vocant autem has, etiam intelligibiles. Post quas alium ordinem, intelligibilium simul et intellectuallium. Trine et hunc distinctum; in Iyngas, et Synocheas, et Teletarchas. Post medium hunc ordinem, intellectualis est. Unam quidem habens triadem paternam. Eam quae est semel trans, et Hecates, et quae est bis trans. Aliam quae est Amilictorum trium et unum hypezocota. Fontes vero hi sunt septem. Post vero hosce fontes sunt hyperarchii, dein Azoni, deinde Zonaei. Post quos Angeli, dein Daemones. Post quos Animae. Et tandem mundus corporeus. Septem autem dicunt mundos corporeos, Empyreum unum, et primum et tres post eum Aethereos. Deinde tres materiales, Innerraticum. Erraticum, et qui sub Luna est. Et primum quidem determinant, secundum mentem. Aethereos vero secundum animam. Materiales vero secundum naturam. Fontem vero Angelorum,

Τοῦ Ψελλοῦ Ἐκθεσις Κεφαλαιώδης ΤΩΝ ΠΙΑΡ' ΑΣΣΥΡΙΟΙΣ ΔΟΓΜΑΤΩΝ.

Μετὰ τὸ ἔν, τὸν πατρικόν φασι βυθόν, ἐκ τριῶν τριάδων πληρούμενον. Ἐκάστην δὲ τῶν τριάδων, ἔχειν πατέρα πρῶτον, εἴτα δύναμιν μέσην. Καὶ νοῦν ἐπ' αὐτοῖς τρίτον, συγκλείοντα πρὸς ἔαυτὴν τὴν τριάδα. Καλοῦσι δὲ ταύτας καὶ νοητάς. Μεθ' ἀς ἄλλον διάκοσμον τῶν νοητῶν, ἅμα καὶ νοερῶν. Τριχῇ καὶ τοῦτον διηρημένον, εἰς ἵνγας, καὶ συνοχέας, καὶ τελετάρχας. Μετὰ δὲ τὸν μέσον διάκοσμον, οὐερός ἐστι. Μίαν μὲν ἔχων τριάδα πατρικήν, τὴν τοῦ ἄπαξ ἐπέκεινα. Καὶ τῆς Ἐκάτης, καὶ τοῦ δίς ἐπέκεινα. Ἐτέραν δὲ τὴν τῶν Αμειλίκτων¹ τριῶν ὄντων, καὶ ἐνα τὸν Υπεζωκότα.² Πηγαὶ δ' αὗται³ ἐπτά. Μετὰ δὲ τὰς πηγὰς ταύτας οἱ ύπεράρχοι, εἴτα ἄζωνοι, ἐπειτα ζωναῖοι, Μεθ' οὓς Αγγελοι,⁴ εἴτα δαίμονες, ἥρωες μετ' αὐτούς, Μεθ' οὓς ψυχαί. Καὶ λοιπὸν ὁ κόσμος ὁ σωματικός. Επτὰ δέ φασι κόσμους σωματικούς. Εμπύρον⁵ ἔνα καὶ πρῶτον. Καὶ τρεῖς μετ' αὐτὸν αἰθερίους, ἐπειτα τρεῖς ύλαιοις, τὸ ἀπλανές, τὸ πλανώμενον, καὶ τὸ ύπὸ σελήνην. Καὶ τὸν μὲν πρῶτον ἀφορίζουσι κατὰ τὸν νοῦν. Τοὺς δ' αἰθερίους⁶ κατὰ τὴν ψυχήν, τοὺς δ' ύλαιούς⁷ κατὰ τὴν φύσιν. Πηγὴν δὲ Αγγέλων,⁸

¹ ἀμειλίκτων

² ύπεζωκότα

³ δὲ αὗται

⁴ ἄγγελοι

⁵ Εμπύριον

⁶ δὲ αἰθερίους

⁷ δὲ ύλαιούς

⁸ ἄγγέλων

et Daemonum, et animarum et naturalium, Hecatem esse dicunt. Deducunt vero multoties animam in mundum, ob causas multas. Vel ob alarum defluxum, vel ob voluntatem paternam, ad exornandam terrenam sortem. Existimant etiam mundum esse aeternum. Dicunt quoque Aden multipliciter et nunc Deum ipsum nominant Principem terrenae sortis. Nunc autem locum sublunarem. Modo etiam, mediatem aetherei mundi, et materialis. Modo quoque irrationalem animam et ponunt in ea rationalem, non essentialiter, sed respectu quodam quando Sympathiam secum habuerit. Ideas existimant, nunc quidem paternae mentis conceptiones nunc autem universales rationes, mentis, animae, naturae quas dat quidem Mens ipsi animae. Anima vero naturae sympathiam dicunt esse superis cum inferioribus et maxime quae sub luna sunt. Restituunt vero in pristinum animas, secundum mensuram propriarum purgationum, in totis mundi regionibus. Quasdam etiam supra mundum reducunt. Horum autem dogmatum plurima et Aristoteles et Plato suscepserunt. Plotinus vero et Porphyrius, et Iamblichus, et Proclus, omnia sunt sequuti et tamquam divinas voces, ea suscepserunt.

καὶ δαιμόνων καὶ ψυχῶν καὶ φύσεων τὴν Ἐκάτην

εἶναι φασι. Καταβιβάζουσι⁹ δὲ πολλάκις τὴν ψυχήν εἰς τὸν κόσμον, δι' αἰτίας πολλάς, ἢ διὰ

πτεροοργήσιν, ἢ διὰ βούλησιν πατρικήν, εἰς τὸ

κοσμῆσαι τὴν περίγειον λῆξιν. Δοξάζουσι δὲ καὶ τὸν

κόσμον ἀίδιον. Λέγουσι δὲ καὶ τὸν Ἄιδην¹⁰ πολλαχῶς.

Καὶ νῦν μὲν αὐτὸν θεὸν ὄνομάζουσιν, ἀρχηγὸν

τῆς περιγείου λήξεως, νῦν δὲ τὸν ύπο σελήνην τόπον.

Νῦν δὲ τὴν μεσότητα τοῦ αἰθερίου κόσμου καὶ

τοῦ ύλαίου. Νῦν δὲ τὴν ἄλογον ψυχήν. Καὶ τιθέασιν

ἐν αὐτῇ τὴν λογικήν, οὐκ οὐσιωδῶς, ἀλλὰ σχετικῶς,

ὅταν συμπαθῶς ἔχῃ πρὸς αὐτήν. Ἰδέας δὲ νομίζουσι.

Νῦν μὲν τὰς τοῦ πατρὸς ἐννοίας. Νῦν δὲ τοὺς

καθόλου λόγους νοῦ, τοὺς¹¹ ψυχικοὺς, καὶ φυσικούς.

Οὓς δίδωσι μὲν ὁ νοῦς τῇ ψυχῇ, ἡ δὲ ψυχὴ τῇ φύσει.

Συμπαθεῖν δὲ τὰ ἄνω τοῖς κάτω φασι. Καὶ μάλιστα

τὰ ύπο σελήνην. Αποκαθιστᾶσι δὲ τὰς ψυχὰς,

κατὰ τὰ μέτρα τῶν οἰκείων καθάρσεων, ἐν δλαις

ταῖς τοῦ κόσμου μερίσι. Τινὰς δὲ καὶ ύπερ τὸν κόσμον

ἀναβιβάζουσι. Τούτων δὲ τῶν δογμάτων τὰ πλείστα¹² καὶ Ἀριστοτέλης καὶ Πλάτων ἐδέξαντο. Οἱ δὲ

περὶ Πλωτίνον καὶ Πορφύριόν τε καὶ Ἰάμβλιχον,¹³ καὶ

Πρόκλον πᾶσι καθηκολούθησαν.¹⁴ Καὶ ὡς θείας φωνὰς

ταῦτα ἐδέξαντο.

⁹ καταβιβάζουσι

¹⁰ Ἄιδην

¹¹ νοητοὺς

¹² πλείστα

¹³ Ἰάμβλιχον Πορφύριόν τε

¹⁴ κατηκολούθησαν

**In alio Exemplari, ita se habet
Eiusdem per Capita, de dogmatis
quae sunt apud Chaldaeos**

Septem dicunt corporeos mundos. Empyreum unum, et primum, et tres post ipsum Aethereoſ, deinde tres materiales. Quorum postremus terrenus dictus est, et osor lucis, qui est sublunaris locus, habens in se, etiam materiam quam vocant profundum. Unum principium universorum opinantur, et unum ipsum, et bonum celebrant. Dein Paternum quoddam profundum venerantur, ex tribus triadibus compositum. Quaeque vero trias, habet Patrem, Potentiam, et Mentem. Deinde est intelligibilis Iynx et post eam, Synocheus, Empyreus, Aetherius, et Materialis. Post vero Synocheas, Teletarchae. Post hos vero, Fontani patres, qui vocantur etiam mundi ductores. Quorum primus is qui semel trans dicitur. Post quem Hecate, dein is qui bis trans. Post quem, tres Amilicti, et ultimus, hypezocos. Venerantur quoque fontanam Triadem, fidei, et veritatis, et amoris. Dicunt etiam Archicum solem, a solari fonte, et Archangelicum, et fontem sensus, et fontanum iudicium, et fulmineum fontem, et fontem dioptrarum et characterum fontem, insidentem ignotis synthemati¹ et fontanas summitates Apollinis, Osiridis, Mercurii. Materiales vero fontes dicunt, centrum et elementorum et somnorum Zonam et fontanam Animam. Post autem fontes dicunt esse principia.

**ΕΝ ΆΛΛΟ ΔΕ ΣΥΓΓΡΑΜΜΑΤΙ, ΟΥΤΩΣ ΕΧΕΙ.
ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΚΕΦΑΛΑΕΩΔΩΣ¹⁵. ΠΕΡΙ ΤΩΝ.
ΠΑΡΑ ΧΑΛΔΑΙΟΥΣ ΔΟΓΜΑΤΩΝ.**

Ἐπτά φασι σωματικοὺς κόσμους. Ἐμπύριον ἔνα καὶ πρώτον. Καὶ τρεῖς μετ' αὐτὸν αἰθερίους, ἐπειτα τρεῖς ύλαιοις. Ων ὁ ἔσχατος χθόνιος εἴηται καὶ μισοφαής. Ός τις¹⁶ ἐστιν ὁ ὑπὸ σελήνην τόπος, ἔχων ἐν ἑαυτῷ καὶ τὴν ψλην, ἥν καλοῦσι βυθόν. Μίαν ἀρχήν τῶν πάντων δοξάζουσι, καὶ ἐν αὐτήν καὶ ἀγαθὸν ἀπομνηνούσιν.¹⁷ Είτα πατρικὸν τινὰ βυθὸν σέβονται, ἐκ τριῶν τριάδων συγκείμενον. Έκαστη δὲ τοιάς, ἔχει πατέρα, δύναμιν, καὶ νοῦν. Είτα ἐστιν ἡ νοητὴ ἔνγξ. Καὶ μετὰ¹⁸ ταύτην οἱ συνοχεῖς,

οἱ ἐμπύριοις, οἱ αἰθέριοις, καὶ οἱ ύλαιοις. Μετὰ δὲ τοὺς¹⁹ συνοχεῖς, τελετάρχαι.²⁰ Μετὰ δὲ τούτους, οἱ πηγαίοι πατέρες, οἱ καλούμενοι, καὶ κοσμαγωγοί.²¹ Ων ὁ πρώτος, οἱ ἄπαξ ἐπέκεινα λεγόμενος. Μεθ' ὅν ἡ Ἐκάτη. Είτα οἱ δύς²² επέκεινα.

Μεθ' ὅν²³ τρεῖς ἀμείλικτοι, καὶ τελευταῖος ὁ ύπερζωκώς. Σέβονται δὲ καὶ Πηγαίαν²⁴ τριάδα πιστεως, καὶ ἀληθείας, καὶ ἔρωτος. Φασὶ δὲ καὶ ἀρχικὸν ἥλιον ἀπὸ τῆς ἡλιακῆς πηγῆς, καὶ ἀρχαγγελικόν, καὶ πηγὴν αἰσθησέως,²⁵ καὶ πηγαίαν

κρίσιν, καὶ κεραύνιον πηγὴν, καὶ πηγὴν διοπτρῶν, καὶ χαρακτήρων πηγὴν ἐπιβατεύουσαν τοῖς ἀγνώστοις συνθήμασι. Καὶ πηγαίας ἀκρότητας

'Απόλλωνος, 'Οσίριδος, 'Έρμού. Υλικὰς²⁶ δὲ πηγάς φασι,²⁷ κέντρων καὶ στοιχείων, καὶ ὀνειρῶν Ζώνην,²⁸ καὶ πηγαίαν ψυχήν. Μετὰ δὲ τὰς πηγάς,

¹⁵ umjesto pravilnoga ΚΕΦΑΛΑΙΩΔΩΣ

¹⁶ 'Οστις. Sve tekstualne varijante u bilješkama potječu iz mjerodavnog kritičkog izdanja *Michaelis Pselli philosophica minor*, vol. 2: *Opuscula psychologica, theologica, daemonologica*, ed. D. J. O'Meara, Leipzig, 1989: 1–164.

¹⁷ ἀνυμνούσιν

¹⁸ μετὰ δὲ

¹⁹ τοὺς

²⁰ οἱ τελετάρχαι

²¹ κοσμαγοί

²² δις

²³ μεθ' οὓς

²⁴ πηγαίαν

²⁵ αἰσθησέως

²⁶ καὶ ύλικὰς

²⁷ φασιν

²⁸ ζώνην

¹ U izvorniku stoji: synthemasi.

Fontes enim principaliores sunt, principiis. Zoogonorum vero principiorum, summitas quidem Ecate vocatur. Medietas vero, Anima principalis. Terminatio vero Virtus principalis. Sunt vero apud ipsos, etiam Azonae Ecatae, ut Triecdotic Chaldaica, et Comas, et Ecclystica. Azonici vero apud ipsos Dii, Serapis, et Dionysus, et Osiridis series, et Apollinis. Azoni vero vocantur, qui libere in libertate vivunt potestatem exercentes in Zonas, et supersedentes manifestis Diis. Zonaei vero, qui coelestes Zonas separatim et libere circumvolventes et ea quae hic sunt administrantes. Divinum nam genus apud ipsos est Zonaeum cui distributae sunt mundi sensibilis regiones et sortitum est circa materialem locum, sortitiones. Post Zonas vero est, inerrans circulus, continens septem sphaeras, in quibus sunt Astra. Et aliis quidem apud eos est solaris mundus, aethereo profundo serviens, alias vero Zonaeus unus e septem existens. Humanarum animarum, causas duplices fontanas ponunt. Paternam Mentem, et fontanam animam, et procedit quidem eis particularis anima, a fontana per voluntatem patris. Habet vero et per se genitam essentiam, et per se viventem. Non enim est, ut ab alio mota. Nam iuxta oraculum, portio est ignis divini, et ignis lucens et intellectio paterna. Et est forma immaterialis, et per se subsistens. Tale enim est, omne divinum, cuius pars est anima. Et omnia dicunt esse, in singula ani-

λέγουσιν είναι ἀρχάς. Αἱ γὰρ πηγαὶ ἀρχικώτεραι τῶν ἀρχῶν. Τῶν δὲ Ζωογόνων²⁹ ἀρχῶν, ή μὲν ἀκρότης Ἐκάτη καλεῖται. Ή δὲ μεσότης ψυχὴ ἀρχική, ή δὲ περιάτωσις ἀρετὴ ἀρχική. Εἰσὶ δὲ παρ' αὐτοῖς, καὶ ἄζωνοι Ἐκάται, δὲ³⁰ ή τριεκδότις³¹

η Χαλδαϊκή, καὶ ή κωμάς, καὶ ή ἐκκλυστική.³² Αζωνικοὶ δὲ παρ' αὐτοῖς θεοί, οἱ Σέραπις,³³ καὶ οἱ Διόνυσος, καὶ ή τοῦ Οσιρίδος σειρὰ, καὶ ή τοῦ Ἀπόλλωνος. Αζῶνοι δὲ καλούνται οἱ εὐλύτως ἐν ἔξουσίᾳ ζῶντες, ἐνεξουζιάζωντες³⁴ ταῖς Ζώναις,³⁵ καὶ ὑπεριδόμενοι³⁶ τῶν ἐμφανῶν³⁷ θεῶν. Ζώναιοι³⁸ δὲ οἵ³⁹ τὰς

ἐν οὐρανῷ Ζώνας⁴⁰ ἀπολύτως περιελίττοντες, καὶ τὰ τῆδε διοικοῦντες. Θεῖον γὰρ γένος ἐστὶ παρ'

αὐτοῖς

Ζωναῖον⁴¹, τὸ κατανειμάμενον τὰς τοῦ αἰσθητοῦ κόσμου μερίδας. Καὶ ζωσάμενον τὰς περὶ τὸν ὑλαῖον τόπον διακηρώσεις. Μετὰ δὲ τὰς Ζώνας⁴² ἐστιν, οἱ ἀπλανῆς κύκλος περιέχων τὰς ἐπτὰ σφαιρὰς, ἐν αἷς τὰ ἀστρα. Καὶ ἀλλος μὲν παρ' αὐτοῖς οἱ ἡλιακός κόσμος τῷ αιθερὶ βάθει δουλεύων.

Άλλος δὲ οἱ Ζωναῖος,⁴³ εἰς ὃν τῶν ἐπτά. Τῶν δὲ⁴⁴ ἀνθρωπίνων ψυχῶν αἴτια διττὰ πηγαία τίθενται, τόν τε πατρικὸν νοῦν, καὶ τὴν πηγαίαν ψυχήν. Καὶ προέρχεται μὲν αὐτοῖς η μερικὴ ψυχὴ ἀπὸ τῆς πηγαίας κατὰ βούλησιν τοῦ πατρός. Ἐχει δὲ καὶ αὐτόγονον οὐσίαν, καὶ αὐντόζων, οὐ γάρ ἐστιν ὡς ἐτεροκίνητος. Ή⁴⁵ γὰρ κατὰ τὸ λόγιον μοῖρα τοῦ πυρός ἐστι τοῦ θείου,⁴⁶ καὶ πῦρ φαεινόν. Καὶ νόημα πατρικὸν εἶδος ἐστιν ἀνλον,⁴⁷ καὶ αὐθυπόστατον. Τοιούτον γὰρ πᾶν τὸ θεῖον, οὐ μέρος ή ψυχή. Καὶ

²⁹ Ζωογόνων

³⁰ ὡς

³¹ τριεκδότις

³² ἐκκλυστική

³³ Σέραπις

³⁴ samo jednom ἐνεξουσιάζοντες

³⁵ ζώναις

³⁶ ὑπεριδόμενοι

³⁷ ἐμφανῶν

³⁸ ζωναῖον

³⁹ δὲ οἱ

⁴⁰ ζώνας

⁴¹ ζωναῖον

⁴² ζώνας

⁴³ ζωναῖος

⁴⁴ δὲ

⁴⁵ εἰ

⁴⁶ τοῦ θείου πυρός ἐστι

⁴⁷ ἀνλον

ma. Per singulam vero proprietatem ignotam, fabilis et ineffabilis Synthetatis. Deducunt vero animam saepe in mundum, ob causas multas, vel ob alarum defluum, vel ob voluntatem patris. Opinantur vero mundum aeternum, et astrorum periodos. Aden multis modis partiuntur et nunc ipsum Deum nominant principem terrena sortis nunc vero sublunarem locum dicunt. Nunc autem medietatem aetherei mundi, et materialis. Nunc etiam irrationalē animam. Et ponunt in ipsa rationalem, non essentialiter sed per respectum, quem compatitur cum ea, et profert particularem rationem. Ideas existimant, modo patris conceptus et modo universales rationes, et naturales, et animasticas et mentales modo autem separatas entium existentias. Magicas vero rationes constituunt a summis potestatibus, et a terrenis materiebus. Compati aiunt, supera inferis et praesertim sublunaria. Reducunt vero animas post obitum, secundum mensuram propriarum purgationum in cunctis mundi regionibus. Quassdam etiam supra mundum attollunt et medias ipsas constituunt, imparibilium et partibilium naturarum. Horum vero dogmatum pleraque et Aristoteles, et Plato suscepérunt. Plotinus vero, et Porphyrius, et Iamblichus, et Proclus omnia sunt secuti, ut divinas voces ea sunt amplexati.

Finis

πάντα φασίν εἶναι ἐν ἑκάστῃ ψυχῇ, καθ' ἑκάστῃ δ' ἰδιότητα ἀγνωστον ὄητοῦ καὶ ἀρρήτου συνθήματος.

Καταβιβάζουσι δὲ τὴν ψυχὴν πολλάκις ἐν τῷ κόσμῳ δι' αὐτίας πολλάς, η διὰ πτεροδρόμησιν ἡ διὰ βούλησιν πατρικήν. Δοξάζουσι δὲ τὸν κόσμον ἀΐδιον καὶ τὰς τῶν ἀστρῶν περιόδους. Τὸν δὲ Άιδην⁴⁸ πολλαχῶς καταμερίζουσιν. Καὶ νῦν μὲν αὐτὸν θεὸν ὄνομάζουσιν ἀρχηγὸν τῆς περιγείου λήξεως. Νῦν δὲ τὸν ὑπὸ σελήνην τόπον φασί.⁴⁹ Νῦν δὲ τὴν μεσατάτην⁵⁰ τοῦ αἰθερίου κόσμου, καὶ τοῦ ὑλαίου. Νῦν δὲ τὴν ἀλογὸν ψυχήν. Καὶ τιθέασιν ἐν αὐτῇ τὴν λογικήν, οὐκ οὐσιωδῶς, ἀλλὰ σχετικῶς, ὅταν συμπαθῶς ἔχῃ⁵¹ πρός αὐτήν, καὶ προβάλλῃ⁵² τὸν μερικὸν λόγον. Ιδέας δὲ νομίζουσι, νῦν μὲν τὰς τοῦ πατρός ἐννοίας, νῦν δὲ τοὺς καθόλου λόγους, καὶ⁵³ φυσικοὺς, καὶ ψυχικοὺς, καὶ νοητούς. Νῦν δὲ τὰς ἐξηρημένας⁵⁴ τῶν ὄντων ὑπάρχεις. Τοὺς δὲ περὶ μαγειῶν λόγους συνιστώσι⁵⁵ ἀπό τε τῶν⁵⁶ ἀκροτάτων⁵⁷ δυνάμεων ἀπό τε περιγείων⁵⁸ ὑλῶν. Συμπαθή δὲ τὰ ἀνώ τοις κάτω φασί, καὶ μάλιστα τὰ ὑπὸ σελήνην. Αποκαθιστώσι δὲ τὰς ψυχὰς μετὰ τὸν λεγόμενον θάνατον, κατὰ τὰ μέτρα τῶν οἰκείων καθάρσεων, ἐν ὅλαις ταῖς τοῦ κόσμου μερίσι. Τινάς δὲ καὶ ὑπέρ τὸν κόσμον ἀναβιβάζουσι. Καὶ μέσας αυτὰς διορίζονται τῶν τε ἀμεριστῶν, καὶ μεριστῶν φύσεων. Τούτων δὲ τῶν δογμάτων τὰ πλείω, καὶ Ἀριστοτέλης, καὶ Πλάτων ἐδέξαντο. Οἱ δὲ περὶ Πλωτίνου, καὶ Πορφύριον, καὶ Ἰάμβλιχον⁵⁹ καὶ Πρόκλον πᾶσι κατηκολούθησαν.⁶⁰ Καὶ ὡς θείας⁶¹ φωνὰς ἀσυλλογίστως ταῦτα ἐδέξαντο.

ΤΕΛΟΣ.

⁴⁸ ἄδην

⁴⁹ ἄδην φασί

⁵⁰ μεσότητα

⁵¹ ἔχῃ

⁵² προβάλλῃ

⁵³ bez καὶ – samo φυσικοὺς

⁵⁴ ἐξηρημένας

⁵⁵ συνιστώσιν

⁵⁶ τε ἀκροτάτων τινῶν

⁵⁷ ἀκροτάτων τινῶν

⁵⁸ περιγείων

⁵⁹ καὶ Ἰάμβλιχον Πορφύριον τε

⁶⁰ κατηκολούθησαν

⁶¹ θείας

Praepositis ergo hisce tamquam prolegomenis quibusdam, ad ipsa Logia sive oracula est accendum. Rectissima ratione λόγια Graece et Latine oracula sunt dicta, quoniam sunt a Deo quodam, forte summo, ut vaticinia pronunciata. Sacerdoti cuidam inter sacrificandum. Quod ex solius Damascii verbis agnovimus. Nam in eo libro vere incomparabili, quem hic vir De dubiis et solutionibus primorum principiorum scripsit, aliqua loca hoc ipsum innunt. Primo hisce verbis

Μαρτύρονται δὲ οὖν καὶ αὐτοὶ τοὺς θεοὺς ἐν οἷς ἔπεσι λέγουσι πρὸς τὸν θεουργόν.

Testes igitur afferunt, et ipsi Deos, in quibus versibus dicunt ad Sacerdotem. Et non multo post.

Φησὶ καὶ τὰ τοιαῦτα περὶ αὐτῆς, ὁ χρησμωδῶν θεός.

Dicit et talia de ea, vaticinator Deus.

Et alibi

Διὸ καὶ τὸ μένειν ἀεὶ τῇ ἀόκνῳ στροφάλιγγι, πᾶσι χαρίζεται κατὰ τῶν αὐτῶν χρησμωδίαν.

Ideo, et manere semper impigrae vertigini, omnibus per gratiam largitur, in eodem vaticinio.

Alio iterum loco, ita scribit

Ἐπεὶ καὶ αἱ Ἰνγγες, οὐ τρεῖς μόνον ἀλλὰ πλείους. φησὶ γὰρ ὁ χρησμωδῶν θεός.

»Quandoquidem et Iynges non tres solum sunt, sed plures. Inquit enim vaticinator Deus«

Sed haec vaticinia, non videntur esse de rebus futuris ullis. Sed revelationes quaedam divinarum rerum et divinorum ordinum, et quo modo Deus, et intelligibilia entia, et animas, et mundum produxerit. Neque aliter videntur haec suscipienda, quam fuerint olim, Sibyllarum oracula suscepta. Inter quae multa fuerunt, quae veteribus patribus, vera, ac pia visa, Catholica Ecclesia

maximopere, et laudavit, et comprobavit. Atque haec sine dubio causa est, cur Proclus, et θεοπαράδοτον, a Deo traditam, hanc Theologiam appellat, et ἐνθεον, ἐνδειξιν – et afflatum Deo, indicationem. Et alibi

Πηγαῖός ἔστιν οὗτος δημιουργός, φαῖεν ἀν οἱ ἐκ τῆς θεοπαράδοτου θεολογίας ὄρμωμενοι.

Fontanus est hic opifex, dixerint ii qui a Deo tradita Theologia proficiscuntur. Et alio loco.

Καὶ μὴν καὶ Ασσυρίων θεολογία τὰ αὐτὰ παραδίδωσι θεόθεν ἐκφανθέντα.

Sed et Assyriorum Theologia, eadem tradit, a Deo pronunciata.

Et τί οὖν φαίη τις ἀν τῶν ἐκ τῆς ὑπερορθίου θεοσοφίας ὄρμημένων.

Quid ergo dixerit quispiam eorum, qui ab extera Dei sapientia sunt profecti. Quibus alio loco se affirmat credere. Et Damascius alicubi.

Καὶ πρώτην γε τὴν πασῶν μυστικωτάτην εἶναι ὁμολογουμένην τὴν χαλδαϊκήν. Ἀτεχνῶς γὰρ αὕτη καὶ ἀντιφθέγγεσθαι δοκεῖ μάλιστα πασῶν ταῖς ἡμετέραις ὑπονοίαις.

Et primam omnium maxime mysticam esse, est in confessa, Chaldaicam. Revera enim haec, et contradicere videtur maxime omnium nostris conceptibus.

Logia haec nos, sparsa huc, illuc, per Platonicorum libros colligimus, ex Procli Theologia, commentariis in Parmenidem, Timaeum, Rem publicam, Cratylum. Ex Hermia in Phaedrum. Ex Olympidoro in Philebum in Phaedonem, ex Synesio, ex Simplicio in quartum Physic. ex ipso denique Damascio, et Nicephoro Gregoro. Sed ea in classes quasdam, intelligentiae clarioris gratia, redigimus: XII. singulis tamen primam authoris nominis litteram praefiximus, ut cognoscatur unde ea sumpserimus.

ZOROASTRI ORACULA

Transkripcija latinskog teksta stihova i filološki komentar

Ivan Kapec

Prijevod stihova s latinskog na hrvatski

Ivan Kapec

Filozofski komentar

Erna Banić-Pajnić

Transkripcija grčkog teksta stihova i bilješke

